



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordininariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Ad Quæst. 5. part. 4. Additio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

## Ad Quæst. 5. part. 4. Additio.

**R**egulam, quod electi in concordia, si sint immediatè Papæ subjecti, & ultra montes constituti, possunt administrare ante habitam confirmationem. Restringe primò, ut procedat ratiùm in electis, non etiam in provisis à Papa ante habitas litteras sive Bullas suæ provisionis, quamvis enim pronunciatus per Papam in Consistorio etiam ante levatas Bullas sit verus Prælatus, cum litteræ non sint de substantia gratiæ. *Felin. in cap. eam te num. 2. vers. 1. cave de rescripto. Sarnen. in reg. de infirm. q. 1. vers. 1. nam considerandum.* Attamen cum sic promoti aliter de sua promotione c. xxi esse non possint quān per inspectionem Bullarum, vix careret periculo eodem ad simplices curialium sive agentium missivas de provisione testificantes administrationi felse ingerere ut not. *Fagnan. in cap. nihil. num. 31. de elect.*

Restringe secundò, ut nec electi in concordia possint ante confirmationem administrare, quandò in illa provincia adest Legatus Sedis Apostolica, idque non obstante quāvis contraria consuetudine. *Idem Fagnan. in d. c. nihil. n. 19. vers. limitatio. Ego in c. cum venerabilis n. 14. de consuetud.*

## Ad part. 4. Quæst. II. Additio.

**H**oc loco conjungenda sunt illa, quæ infra hac eadem parte 4. q. 42. & duabus sequentibus satis dubiè scripti. D. Autor circa susceptionem Ordinum & cæterorum pontificalium per exemptos faciendam, nec non de concedendis dimissoriis, de quibus omnibus teneas certam Conc. Trid, determinationem *seff. 23.* de reform. è. 10. ubi statuit Abbates aliosque Prælatos quantumcumque exemptos, etiā nullius diæcesis sint, neque consequenter eisdem dimissoriis concedere, sed hæc omnia pertinere ad ipsum Episcopum, intra cuius diæcesis fines loca sic exempta vel nullius diæcesis ex stere dicuntur. *Rot. coram Seraph. dec. 985. per tot. & de hac re vid Tam- busin. de jure Abb. tom. 3. diff. 5. q. 11. n. 70. Azor. inst. moral. tom. 1. l. 12. c. 20. q. 7. & tom. 2. l. 3. c. 48. q. 15. & ab his allegat. per Barbo. ad d. c. 10. seff. 23.*

Amplia i. quod hæc decisio procedit etiam quoad Prælatos habentes omnimo- dam jurisdictionem in clerum & populum, etiam si extra fines ejusdemque diæcesis esse dicantur, quia hoc casu jus ordinandi & dimissoriis concedendi spectabit ad Epi-